



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1678**

Præfatio Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14688**



PRÆFATIO  
AD LECTOREM.

**P**LURES haftenus viri docti & literarum nostrarum studiosi emisserunt in lucem collectiones veterum monumentorum, plerique velut appendices lucubrationum suarum, alij data opera, qui titulos quoque ad eam sententiam exquisitissimos indiderunt. Namque alij antiquæ lectionis inscripserunt, alius tomi singularis, & item alius analectorum. Fuere qui bibliothecam vocarent, spicilegium, *συμμιχτα*, & quædam alia, ut Gellius ait, inscripta nimis lepida multasque prorsus concinnitates redolentia. Nos verò, qui simplicitate delectamur, cum decrevissemus clarissimorum hominum exemplum imitari & publicis usibus consecrare varia veteris ævi scripta quæ nobis antiqui codices & membranæ suppeditarunt, Miscellaneorum vocabulo contenti esse voluimus, titulo ipso simplici & aperto consilium institutumque nostrum declarantes & exponentes. Quis

A. Gell. lib.  
20. c. 10.



P R Æ F A T I O D I A

enim, cum titulum illum legit, non statim intelligit congerere nos in hoc opere variorum argumentorum conscriptiones et opuscula virorum insignium, epistolas, chronica, narrationes historicas, & id genus alia. Itaque me non poenitet, ut Plinij majoris verbo utar, nullum festivorem excogitasse titulum. Damus igitur tibi, lector, primum eorundem Miscellaneorum nostrorum librum, alios postea daturi si isti non defuerit favor hominum eruditorum.

Plinius in  
præfat. hist.  
natur.

Occurrit in primis in hoc volumine Rhabani Abbatis tum Fuldenfis, sed qui Moguntinus dein Archiepiscopus fuit, liber sive dialogus de computo ad Macharium sive Marcharium, ut legitur in veteri codice discipulum suum, scriptus anno Christi DCCCXX, mense Julio, ut ipsemet docet in varijs hujus operis locis. Meminit autem istius Rhabanicae lucubrationis Rudolfus in vita ejus. *Præterea quoque, inquit, Machario monacho petente de computo confecit dialogum unum.* Trithemius quoque in libro de scriptoribus ecclesiasticis, referens opera Rhabani à se visa, ita ait de isto: *De computo dialogum lib. 1. Quia te venerande pater.* Item Baleus centuria XIV. cap. XL. *De computo dialogum lib. 1. Quia te venerande preceptor.* Sic etiam Gesnerus. Extitisse adhuc hunc librum inter codices antiquos bibliothecæ Fuldenfis anno MDCIV. testatur Serarius



## ADOLECTOREM.

libro vii rerum Moguntiacarum pag. 63. 2.  
Ejus item exemplar habuit olim bibliotheca  
monasterij Sangallensis in Helvetia, ut re-  
peri scriptum in veteri catalogo librorum  
qui in ea extabant ævo Ludovici Pij & Ka-  
roli Calvi, in quo ita legitur: *Liber astrologiæ,  
& compotus Rabani, & alius compotus, in vo-  
lumine uno.*

Sequuntur gesta Balduini de Luxembur-  
go Archiepiscopi Treverensis, qui frater fuit  
Henrici vii. Imperatoris, patruus Iohannis  
Bohemiæ Regis & Karoli i. v. item Impera-  
toris. Scripta sunt ab auctore sanè nobis ig-  
noto, sed tamen coætaneo, adeoque pluri-  
mi faciendo. Eum in epitomen redegit olim  
Wilhelmus Kyriander, eamque transtulit  
in commentarios suos de Augusta Trevero-  
rum, ubi etiam adnotat magnam partem eo-  
rum quæ de Balduino isto refert Trithemius  
in chronico Hirsaugiensi, sumpta esse ex  
operè quod nos nunc primùm edimus. Illius  
etiam varia fragmenta referuntur in magno  
chronico Belgico, & apud Christophorum  
Brouverum in libro xvi. annalium Treve-  
rensi.

Epistolas duas Sulpitij Severi Presbyteri  
ad Claudiam sororem suam nobis humanif-  
simè suppeditavit clarissimi patris non dege-  
ner filius Isaac Claudius, qui eas, cum in  
Anglia esset, acceperat à clarissimo item  
viro Ioanne Battleyo socio collegij S. Tri-



PRÆFATIO

nitatis Cantabrigiensis, iste verò invenerat in vetustissimo codice MS. ejusdem collegij, in quo subjectæ sunt testimonio Gennadij de vita operibúsq; ejusdem Sulpitij. Nam illic Gennadius mentionem facere videtur istarum epistolarum. *Epistolas, inquit, ad amorem Dei & contemptum mundi exhortatorias scripsit sorori suæ multas, quæ & notæ sunt.* Puto autem primam, quæ est de ultimo judicio, lectam fuisse Ruricio Episcopo Lemovicensi, cùm apud illum nonnulla reperiam quæ ex illa Sulpitij Severi epistola videntur fuisse descripta. Nam in pag. 329. hæc habentur: *Per sæpe ad vos venire volui, sed usque adhuc impeditus sum, obsistente eo qui consuevit obsistere.* Ruricius verò lib. I. epist. VI. ita scribit: *Crebrius volumus ad sincerissimam pietatem vestram scripta dirigere, sed prohibiti sumus usque nunc, prohibente nimirum illo qui bonæ voluntati consuevit semper obsistere.* Paulò post legitur in epistola Severi: *Domini operiar voluntatem, speroque quòd meis votis & orationibus tuis de nostra nos fructum faciat capere perseverantia.* Ruricius lib. I. epist. XVI. *ut possimus in unum positi fructum de nostra invicem capere præsentia.* Item lib. II. epist. LXIII. *Deprecor ut communi Domino supplicetis ut citius nos faciat fructum de nostra capere præsentia.* Tum haud ita multò post subdit Severus in pagina 330. *Vnum tamen mo-*



## AD LECTOREM.

*neo, ne transcurſa repetas, ne contempta deſideres, ne manum aratro inferens, retrorſum converſa reſpicias, quo utique in te redeunte vitio, ordinem ſuum neceſſe eſt ſulcus amittat.*

Et Ruricius lib. I. epiſt. XVIII. *Sed neque ſivam tenens, contra Domini ſententiam retro reſpicias, ut directum linea ſulcus amittat.* Solebat enim Ruricius ſeſe meliorum auctorum lectione oblectare & eorum verba ſua facere, ut multis exemplis oſtendi poſſet.

De epiſtolis Aviti, quæ poſtea ſequuntur, nihil dico, niſi quòd heic addidi eam quæ ad Gundobadum Regem ſcripta eſt, olim à me editam in appendice Agobardi, ſed heic rurſum recuſam, ne divideretur à ceteris. Porrò illud quoque admoneri convenit, quatuor illas epiſtolas ex eodem codice ex quo nos deſcripſimus editas fuiſſe Cabilloni à clariffimo viro Iohanne Ferrando Preſbytero Societatis Ieſu anno MDCLXI. ſed corruptas in multis locis dum vir optimus eas emendare ſtudet. Præterea pauca illa folia in quibus illæ editæ ſunt, ad paucorum manus pervenerunt, adeòque res adhuc integra eſt tamquam ſi illæ editæ non fuiſſent.

Sequuntur deinde fragmenta epiſtolarum magni illius Paulini Patriarchæ Aquileienſis, cujus adeo frequens eſt mentio in annalibus & hitorijs ævi Karolini ut ſuperfluum ſit de eo quicquam heic dicere.



## PRÆFATIO

Nostra porrò hæc fragmenta tanti visâ sunt antiquis ut & descripta sint in synodis Gallicanis illorum temporum & in capitulis Regum nostrorum, ut adnotavimus in margine. Extat apud Burchardum lib. 6. cap. 40. alia illius epistola ad Heistulfum, quæ frustra apud Ivonem & Gratianum tribuitur Stephano V. Papæ Romano. Rectè itaque fecerunt nuperi editores Conciliorum, qui cùm illam in collectione sua edere instituissent, eam Paulino tribuerunt duabus de causis, tum quia sic legebant in vetutissimo codice Remensi MS. quem nos quoque vidimus, tum quia disertam epistolæ istius Paulinæ mentionem facit Flodoardus lib. 3. historiae Remensis cap. 21. Habemus nos præterea aliam illius epistolam de rebus gestis in Concilio Altinensi scriptam ad Karolum Magnum, cujus fragmenta quædam annalibus ecclesiasticis inseruit illustrissimus Cardinalis Baronius, quæ dein translata sunt in tomos Conciliorum. Hanc nos heic dedissemus integram, nisi majori operi reservandam esse putassemus.

De epistolis Alcuini, quas heic exhibemus, non arbitror dici quicquam debere, cùm satis ipsæ se prodant. At sermo dictus in hypapanti indiget aliqua præfatione, cùm reperiatu editus inter opera sancti Ambrosij Episcopi Mediolanensis, cui



## AD LECTOREM.

etiam tributum reperi in vetustissimo codice MS. bibliothecæ Colbertinæ. Sed præterquam quòd codex alter Colbertinus, ex quo illa à nobis editur, æquè vetustus hunc sermonem exhibet inter alias nonnullas Alcuini lucubrationes, ac duobus in locis eum docet dictum fuisse coram Karolo Magno, certum est non posse esse sancti Ambrosij, cum ejus ætate nondum institutum esset festum hypapantis, ut rectè observavit Baronius. Itaque cum hætenus sermo ille jactatus fuerit incertis sedibus, multòque integrior sit in codice illo Colbertino quàm in vulgatis Ambrosij editionibus, operæ pretium me facturum putavi si hæc eum recuderem, saltem ut suo auctori vel ea ratione restituatur.

Epistola Fredegisi de nihilo & tenebris una est ex his quæstionibus quas curiosi illorum temporum excitabant. Rem tractat prorsùs more dialectico, ludens etiam in sophismatibus, ut ingenium exerceat. Neque enim arbitror seriam fuisse scriptionem. Fredegisus porrò fuit vir magni nominis per eas tempestates, discipulus Alcuini, qui aliquot ad eum sub nomine Nathanaëlis epistolas scripsit, ex quibus quoque patet quantus vir esset Fredegisus. Fuit autem Abbas sancti Martini Turonensis post Alcuinum, & Cancellarius Ludovici Pij Imperatoris. Adversùs ob-



PRÆFATIO

tractationes ejus apologiam pro se scripsit Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis, quæ edita est in tomo primo operum ejus pag. 165.

Nobilem & elegantem Abbonis Abbatis Floriacensis epistolam ad L. Abbatem Fuldensem reperimus in veteri codice MS. bibliothecæ regię, conjunctam cum ea quam idem Abbo scripsit ad Bernardum Bellilocensem Abbatem in Lemovicibus, quæ edita est in libro de vita ejus. Sed in ista, quæ nondum edita fuerat, nonnulla observanda sunt quæ mihi videntur esse magni momenti. Nam primò de translatione corporis sancti Benedicti ad monasterium Floriacense scribit tamquam de re de qua tum inter omnes conveniebat, ita ut propter eam causam Abbas Fuldensis poposcerit ejusdem sancti reliquias ex eodem monasterio ad se mitti. Deinde ait Abbo se, cum magnifica principis Apostolorum membra supplex adijisset, Romanam Ecclesiam digno viduatam pastore offendisse. Quod non ita intelligendum est ac si sedem apostolicam Pontifice vacantem reperisset, cum certum sit Ioannem XV. sedisse tum in cathedra beati Petri. Itaque ait Abbo se Romanam Ecclesiam digno viduatam Pontifice offendisse, quia non putabat Ioannem dignum esse tanta sede. *Sanè*, inquit Aymoinus in capite x i.



AD LECTOREM

libri de vita ejus, non qualem voluit aut qualem debuit sedis apostolicæ Pontificem nomine Joannem invenit. Nempe turpis lucri cupidum atque in omnibus suis actibus venalem reperit. Quem execratus, perlustratis orationis gratia sanctorum locis, ad sua redijt. Longè aliter sentit de Gregorio V. Joannis successore, viro imperialis sanguinis, Ottonis nimirum Imperatoris propinquo, quem vocat virum totam virtutibus & sapientia compositum. de quo etiam hæc in eadem Abbonis epistola leguntur: *Gregorius, qui Joanni in apostolica successerat sede, non solum nobilitate generis, verum etiam probitate clarus mentis.* Ceterum nomen Abbatis Fuldenfis, ad quem Abbo hanc epistolam scripsit, non extat in vulgatis catalogis Abbatum illius monasterij. Successit autem haud-dubiè VVerinhario, quem in acie pro secundi Ottonis & gentis suæ gloria pugnantem adversus Sarracenos occidisse anno DCCCCLXXXII. vel sequenti scribit Brovverus. Ac si divinare licet, fortassis est Lambertus Camerarius sanctæ Fuldenfis Ecclesiæ, cujus diploma refert idem Brovverus lib. 3. cap. 16. antiquitatum Fuldensium.

Inter epistolas Manfredi Siculi, quas ad Conradum scripsit de morte Frederici II. Imperatoris, memorabilis in primis est hic locus in pagina 476. ubi scriptum est eum



## PRÆFATIO AD LECT.

facrosanctam Romanam Ecclesiam matrem suam in corde contrito humiliter recognovisse, & damna quæ dudum Ecclesijs invitus forsitan vel provocatus intulerat, integrè restauranda sancivisse. Ex quibus confirmantur quæ ab historicis scripta sunt de pœnitentia ejus in extremo vitæ tempore.

Cetera, lector, disces ex elencho qui sequitur.



ELENCHVS